



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

1. Tevtobvrgensis Silvæ Radicibvs Ortvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

# FONS RESONVS VULGO BULLERBORN.

1. **T**EUTOVRGENSIS SILVÆ RADICIBVS  
ORTVM. De saltu Teutoburgensi satis superque  
egimus in notis ad ejus mōnumentum, quibus ex Ortelij  
thesauro geographicō id, quod ipse ex Chron. Mansfeldico  
Cyriaci Spangenbergij hausit, nunc adiūcim⁹. *Teutobur-*  
*giensis, inquit, saltus, Germania locus inter Amisiam, & Lup-*  
*piam amnes, apud Tacitum 1. Annal. clade Romanorum sub*  
*Quintilio Varo nobilis. Hodie Teute vel Teuteberg silva est sic*  
*dicta, prope quam locus est, qui VVintfeldt, id est, campus vi-*  
*ctoriae dicitur. Tractus hic patet longitudine 400 passus, & 200*  
*latitudine, non longe ab arce Falckenburg, & oppidulo Horn, in*  
*itinere, quo itur Paderborna Bylfeldiam & Monasterium, con-*  
*spicuus. Quare idem Ortelius meritò erroris arguit Panci-*  
*rolum ad notitiam Imperij, qui homonymia quadam de-*  
*ceptus hunc saltum putavit esse in Pannonia.*

2. **Q**VÆ TRAHIT ET RESONIS  
NOMINA DEBET AQVIS. Nomen hujus  
fontis accolis est *Bullerborn*, *Bulderborn*, *Bolderborn*, &  
*Bulterborn*: *Bulleren* enim, sive *Bulderen* & *Bolderen*, Teuto-  
nicè cum strepitū blaterare aut detonare dicimus. Hunc  
Bernardus Mollerus l. v. de Rheno pag. 217. elegis suis, &  
Leonardus Thurneisserus de aquis frigidis, calidis, minera-  
libus & metallicis lib. 1. cap. 1. describunt. Eiusdem etiam me-  
minere, Prodromus geographicus Ioannis Gigantis in tabu-  
la Episcopatus Paderb, Atlas geographicus Wilhelmi Blaeu,  
Ioannes Horrion l. 2. Panegyr. Paderb. c. 7. p. 65. *Ad veterena*

T

verò